



PRÆFAMEN.

N arduis Reipublicæ ne-
gotiis Prudentum consilio uti, quam utile
pariter ac necessarium sit, nemo in rebus po-
liticis vel mediocriter versatus non videt.
Adeo, ut nullam Rempublicam, quæ sine eo diu floruerit,
unquam repertam fuisse, verè mihi videar posse conten-
dere. Rerum Romanarum primus ille Conditor Romu-
lus, Reipubl. suæ & populo Legibus prospecturus, cives
omnes, teste Livio, in consilium adhibuit: Et ut imperi-
um Romanum felicissimo hoc auspicio cœpit; ita unico illo
præsidio mirè crevit, floruit, duravit. Quam enim ob
causam sua Romani indixere Comitia, nisi, ut de rebus pu-
blicum bonum, salutemq; respicientibus consilia caperent?
Et quando in unum coiere, ubi consilia eorum non prosper-
rimum eventum habuerint? Quid? conjice oculos in to-
tam, quacunq; patet, Europam: intuere omnia Imperia,
regna, & melioris notæ Respublicas; nulla sine hoc fulcro
stetisse, & adhuc stare animadvertes. Intuere Imperii
Romano-Germanici Statum, nonne is consiliis, quæ Im-
perator cum Electoribus, Principibus & cæteris Statibus